



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 37. Papæ Legatus Bononia pellitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.
A. C. 1334.

Tum conqueritur, Latinos nimium niti syllogismis & dialectica. Nec vero nisi ex regulis logicis argumentari sciebant scholastici nostri. Contendit autem hoc differendi genus in sensibus ac experientia fundatum non habere locum in rebus divinis intelligentiam nostram superantibus. Adjungit, has quæstiones utrimque jam sæpius agitas esse, ita, ut certum sit Græcis, quid agere debeant. Ita sentiens Gregoras non iniit disputationem: & nos Nunciorum itineris effectum videmus nullum.

§. XXXVII.

Papæ Legatus Bononia pellitur.

Ragn. 1334.
n. 27.

In Italia consurgens in Papam Bononia expulit Legatum Bertrandum Pojetum Cardinalem Episcopum Ostiensem. Authores turbarum conspirantes populum ad seditionem concitabant clanculum, multisque diebus continuis pulsari æs campanum velut in casu trepidationis curabant. Tum congregati cives Legatum nihil metuentem in arce, quam intra urbem construxerat, obsidebant, atque per decem dies ibi tenebant inclusum. Circumductis undique fossis, ut ne intraret præsidium, sub gravibus poenis, ne vitæ subsidia illuc inferrentur, veta-

vetabant, interim clamantes: Pereat Legatus! Intereant Legatus & Galli! Tandem ei paciscendum fuit, ut cum suis ex arce ac urbe discederet.

sæcul. XIV.
A. C. 1334.

Inter obsidionem effringebant carceres subjectos Episcopo Bononiensi Bertrando Acciajolo, & pontificio urbis Prætori: ac exules ob crimina cunctos revocabant. Irruebant in Papæ Nuncium Bertrandum Archiepiscopum Ebredunensem, in Episcopos Mirapici ac Bononiæ; in Abbates Nonantulæ, & Bononiæ ad S. Stephani, atque in multos Clericos laicosque Legato aut Ecclesiæ Romanæ addictos, ac libris, sacra facelli supellectile, vasis argenteis, vestibus, equis, armis, argento signato, rebus omnibus eos spoliabant. Injunctis in Episcopi palatium ignibus capiebant, quot invenire potuerant, Legati domesticos vel populares, nimirum Vascones: vulnerabant multos eorum, & aliquos trucidabant. Denique arcem a Legato magnis sumptibus exstructam funditus diruerunt.

Hunc in modum depulsus est Cardinalis hebdomade Paschatis, cum Legati munus totam per Lombardiam annis sexdecim circiter obiisset. Amissis bonis suis pæne omnibus ad Papam advenit die Pentecostes, qui hoc anno 1334 erat quintus decimus Maji. Quæstionem in Bono-

Vit. Pap.
to. I. p. 177.

Sæcul. XIV. Bononienses haberi voluit Papa: sed
A. C. 1334. longius progressurum mors abstulit.

§. XXXVIII.

Joannes XXII. obit.

Bal. vit. to. I.
p. 177. Agitabat simul difficilia duo negotia, electionem Imperatoris novi, & questionem de visione beatifica decidendam. Has aliasque ob causas indixit senatum in secundam Decembris 1334. At præcedente nocte post coenam correptus morbo die illa nihil agebat. Tertia mensis post cantatas preces vespertinas, quotquot erant Avenione, Cardinales accersi iussit: & comparebant omnes, si excipias duos, Joannem Cajetanum, qui ab urbe aberat, & Napoleonem Ursinum, qui huic actui interesse noluit. Aderant proinde Cardinales viginti numero: coram quibus legi curabat tabulas majusculis scriptas litteris, ac fere similes declarationi suæ tertia Januarii factæ. His in tabulis ait: Confitemur & credimus animas a corporibus sejunctas purgatasque in coelo ac sede beatitudinis esse cum Christo & Angelis, ac frui a spectu divinitatis claro & a facie ad faciem, ut fert status animæ separatæ. Siquid contra scripsimus, aut protulimus e suggestu sacro, expresse revocamus.

Rayn.
 1334. n. 36.
^{37.}
J. Vill. l. II.
 c. 19. 20.
to. II. Conc.
 p. 1629.

Testa-